

DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA,

D E

# CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI.

---

Q V A M

CONSENSV FACVLTATIS ILLVSTRIS MEDICAE

P R A E S I D E

PHIL. FRID. THEODOR.  
MECKEL,

MED. DOCTOR. ET PROF. PVBL. ORDIN.,  
INSTITVT. CLIN. CHIRVRG. DIRECTORE,

P R O

GRADV DOCTORIS MEDICINAE  
LEGITIME OBTINENDO  
DIE XXVIII. IANVAR. MDCCXCIV.

P V B L I C E DEFENDET

A V C T O R

W O L F F D A V I D S O N ,  
BEROLINENSIS.

---

H A L A E ,

TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.

(1794)



V I R O  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,  
EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
I O . C H R I S T . A N T O N .  
T H E D E N ,

MEDICINAE AC CHIRVRGIAE DOCTORI,  
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS CHIRVRGO  
PRIMARIO,  
NOSODOCHIORVM CASTRENSIVM INSPECTORI,  
COLLEGII MEDICI REGII SVPREMI SODALI  
ET  
CONSILIARIC. CORPORIS REC. TORMENT. BELL.  
PRAEFECT. CHIRVR. MILITARI.  
ACADEM. CAESAR. NATVRAE SCRVTATA-  
RVM SOCIO.

P A T R O N O  
PER OMNEM VITAM SVMVM  
COLENDO  
NEC NON

о и т о с  
и отия. тяго. ои  
с и т и я

о и с я т а з

и в и с и т а з и м и т о з и

о и с я т о

VIRO  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI FRIDERICO  
ZOELLNER,

POTENTISSIMI BORVSS. REGIS CONSILIARIO,  
IN CONSISTORIO SVPREMO,  
PRAEPOSITO,  
ACADEM. SCIENTIARVM BEROLINI MEMBRO  
ETC.

FAVTORI  
NVNQVAM SATIS DEVENERANDO  
HAEC  
TENTAMEN INAVGVRALE SACRVM.  
VVLT ET OFFERT

AVCTOR.



DE

## CONSENSV IN GENERE.

**C**orpus hominis artificiosissimum creatoris opus, cuius structura ad mirabili modo est perfecta, cuius leges tam variae tamque obscurae sunt, ut ingenium perfectissimum vix eas capere possit, cuius effectus aequis lentisque oculis vi consuetudinis adspicimus, ita, ut nec sapientiam divinam admireremur, nec investigando vires hujus machinae operam demus, hoc corpus, inquam, nobis multa *φανοπειρων* praebet, quae nos admirationem incitant. Nos jam contenti sumus, haec omnia sic esse, et cur haec sic se habeant investigare nobis superfluum videtur, ac segnities quaedam nos credentes haec omnia supra nostrum captum esse excusatos habet. Vnum των *φανοπειρων* corporis humani, quae admirationem cuiusque in se adtrahunt, profecto est illa har-

A 2

monia,



monia, sympathia et consensus omnium suarum partium. Omnia inter se sunt conjuncta, ita, ut chorda minima diffona facta disconvenientiam totius instrumenti producat. Pars aegrota saepe alteram longe remotam cum ea non conjunctam partem afficit, et consensus hujus remotionis partis haud raro vehementior eo sensu partis aegroti ipsius est. Sic, ut exemplum afferam, calculus in rene situs, quem aeger in loco ipso non sentit, vomitum saepe recurrentem efficit; sordes intestinalis, quae non numquam in loco quem occupant nil molestiae excitant, in subjectis sensibilibus haud raro dolores capitatis, vertiginem et sic porro progignunt. Ratio in hac re obstupecit, nos enim certa effectuum causae notio latet. Attamen doctrina consensus est gravissima et medicus sine illa in labyrintho errorum pleno versatur; quam saepe enim morbi sedem ibi quaeret, ubi non reperitur; quam saepe morbi sedem ibi se invenisse credet, ubi non est; quam saepe ei φανωμένα obviam venient quae sine hujus doctrinae cognitione difficultia sunt explicata; quam saepe effectus benevolae naturae non agnoscat; quam saepe ejus operibus obicem opponet. Nondum sane haec doctrina medico tam scitu necessaria eo cum studio est elaborata,

que-

quocum aliae minus graves doctrinae sunt excusatæ; hinc et tam multa incerta, et sibi repugnantia adhuc continent. Me felicem esse existimabo, si his paucis pagellis medicos paululum adtentiores ad hoc φανωεον corporis humani redidero, et viros majore ingenii copia praeditos commovero plus lucis huic doctrinae affundere.

**DE ORIGINE,  
CAVSA, AC MODO CONSENSVS  
PARTIVM.**

Iam medicis scriptoribus antiquæ aetatis φανωεον consensus corporis animalis notum fuit <sup>1)</sup>. Pater medicorum enim jam exclamat confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia. Et GALENVS <sup>2)</sup> quoque, qui tam strenue ad experientiam se non applicavit ut qui ante eum fuerant, sed jam magis rationibus iudicavit, locis pluribus dicit, partem aegrotam et alias partes afficere, et CELSVS <sup>3)</sup> BALLO-

NIVS

1) vid. Hippocr. Lib. de aliment. pag. 50. Sect. 4.  
ed. FOES. fol. 1595.

2) Lib. de locis affect. lib. III. c. 5. p. 274. ed.  
Basil. graec. fol. 1538.

3) De medicina. Amstelod. 1713. 4to.



NIVS 4), BAGLIVIUS 5), FERNELIUS 6)  
et multi alii doctrinam de consensu propositentur,  
*Ambrofius Paraeus* exemplum consensu enarrat.  
„Carolum nonum ictum in nervo accepisse cum  
„eum in vena accipere debuisset, et subinde con-  
„vulsionibus esse correctum.“ Casum similem  
SYLVIVS 7) habet.

VALENTINVS 8) exemplum adducit ubi  
ab infilicissima clavis pedum excisione, in con-  
fensem tractis praecipuis corporis partibus, actiones  
omnes fuerint sufflaminatae et mors subsecuta.  
ETT MÜLLERV 9) sequentia verba habet „fa-  
„pientissimo consilio corpus nostrum ita construxit,  
„natura ut se habeat instar machinae hydraulico —  
„pneumaticae cuius rotalae seu fibrillae cuidam  
„nerveae ad motum necessariae, si tantillum impe-  
„dimentum vel laesio inferatur, plures partes, nisi

et

4) Epidem. lib. I. pag. 96.

5) Prax. medic. Ob. 2. pag. 216.

6) Fernelii opera omnia Edit. sexta. Hanoviae  
1610. fol. pag. 55.

7) Sylvi dele Boe opera omnia. 1695. quart.

8) Miscell. curios. 4to. pag. 571.

9) Disputat. de parvis magnorum morbor. initiiis.  
pag. 67.

„et tota machina compatiuntur. CAROLVS PI-  
SO 10), SENNERT 11), MORTON 12), BOER-  
HAVE 13), FRID. HOFFMANN 14), HAL-  
LER 15), WHYTT 16), MECKEL 17) et permulti  
alii hanc materiam pertractarunt. Ad multi-  
rum scriptorum varias corporis humani mutatio-  
nes nomine consensu inscripserunt, quippe quae-  
si ad ea accuratius attendis hoc nomen non me-  
rentur. Id proprie tantum, credo consensum di-  
cere tibi liceret; si pars corporis humani ab altera  
parte aegrota afficitur, quae non similis structu-  
rae est, quae non iisdem functionibus gaudet,  
quae non ipsa partem consentientem, ut sic me  
exprimam, mutat, ita ut haec mutatio sub oculis

10) Observat. de morbis a seros. colluv. pag. 130.

11) Opera omnia. Lugd. Batav. 1676. fol. pag. 60.

12) Operamedica. Amsteolod. 1696. 8to. pag. 130.

13) Aphoris. de cognoscend. et curand. morb. Lug-  
dun. Batav. 1715. quart. pag. 67.

14) Hoffm. System. med. Tom. III. Sect. I. cap. 5.  
et aliis locis.

15) Element. physiolog. Sect. 7. S. 23. Tom. IV.  
pag. 320. Ed. ult.

16) Observations on nervous disorders etc. pag. 1.  
ad. 68. Edingb. 1764.

17) de quinto pari nervorum. pag. 107.

los cadere posset, sed in qua tantum consensus nulla alia re progignitur. Hinc quoque affectionem partis, quae non longe remota ab alia aegra parte jacet, consensum haud dices, quia series partium quaedam tantum hujus *φανομενίας* causa est. Sic etiam cum iis partibus, quae ejusdem structurae sunt res se habet. Igitur si oculus est inflammatus, et subinde quoquo alter oculus inflammatum, minime consensui est adscribendum; eadem enim morbi causa in partes unius ejusdemque structurae atque naturae vim suam facile exercere potest. Porro, ubi partis cujusdam morbus primum mutationem in alia parte producit, ita, ut deinde consensus oriatur, ad sympathiam minime transferres; si exempli gratia refrigerationem pedum dolores capitatis sequuntur, hoc ad sympathiam non est referendum, quia hic aliis effectus antecedit; nempe congestio sanguinis versus caput, a qua capitatis dolores pendent. Si ab hac parte doctrinam de consensu spectaveris, haec non tam implicita erit, sicuti nunc revera est.

#### DE CAVSA CONSENSVS.

Scriptores varias consensus causas proposuerunt, ut, si in tam variam hujus *φανομενίας* na-  
tu-

turam altera causa non quadrat, altera causa  
forsitan quadret. Liceat mihi ergo eas hic expo-  
nere ea cumque vitia detegere

*Bag-*  
*livius* jam hujus sententiae fuit, ut et alii.  
Qua ex ratione formicationem glandis pe-  
nis, si quis calculo vesicae urinariae la-  
borat, et pruritum narium, si quis vermi-  
bus cruciatur, et diarrhoeam, quae fardi-  
tatem tollit, explicare volunt. At opponi-  
mus, hoc ultimum exemplum non ad con-  
sensum spectare, quia sanatio derivatione  
sola efficitur, quippe quod quoque in in-  
flammatione oculorum perspicitur, ubi in-  
flammatio medicamentis alvum ducentibus  
tollitur. Hic nemini profecto mentem su-  
bit, hanc sanationem e sympathia oculo-  
rum et intestinorum explicare, e contra  
quisque eam ad derivationem liquidorum  
refert. Priora ambo exempla, et si revera  
a consensu pendent, nihil pro hac sententia  
probant. Ac hoc enim quaeritur, unde cu-  
tis suam vim sentiendi habet? Nonne a  
nervis? cur formicatio et pruritus, si ver-  
mes adsunt, non potius in oesophago,

quam

quam in naribus oritur, siquidem propagatio cutis causa est?

**2) De connexione vasorum.** Sed omnes ei  
vasis productae mutationes a foliis tantum  
nervis pendent, qui in ea progrediuntur.  
Et mutationes conexu hoc productae, si  
accuratius rem perpendimus, ad sympathiam non transferri possunt, quia tantum  
circulatio sanguinis aliorumque fluidorum  
eas efficit, si nempe circulatio causis exter-  
nis vel internis aut augetur aut diminuitur,  
aut ad quendam locum valde determinatur.

**3) De analogia structurae et functionum qua-**  
rumdam partium. Inde consensum mam-  
marum et uteri explicari volunt. Sed hoc  
profecta, ut supra jam exposuimus, mini-  
me a sympathia est deducendum, hic enim  
pars altera non ea ex causa aegrotat, quia  
altera morbo laborat, nec quia ambae  
ejusdem structurae sunt, sed quoniam quip-  
pe quae toto coelo diversa sit; unaeadem-  
que morbi causa utramque partes invadit.

**4) De propagatione telae cellulosa.** Mor-  
borum causae, secundum hanc sententiam,  
ab

ab aegrota parte tam per cellas, quam per  
fibras laminasque cellas efficientes arcte in-  
soliter se conjunctas ad alias partes propagan-  
tur. Sed et hic sympathiae falsam vim sub-  
iiciunt. Quis enim ratione ad cellas ha-  
bitu dissipationem aquae in spongia a sym-  
pathia deducit, et hoc per deum quoque  
in telam cellulofam quadrat, in cuius cel-  
lulas aer, aqua, pus et alia fluida effun-  
duntur, quae tunc in cellas dissipantur et  
hoc modo morbum aliis partibus conciliant.  
Majoris omnino momenti est quod a nexu  
inter fibras laminasque telae cellulosa re-  
petitur pro hac sympathia explicanda, uti  
ex phaenomenis primi febris stadii, aliis-  
que patet; nulla tamen absque nervis cel-  
lulosae sympathica activitas cogitari potest,  
quae a symptomatibus nervorum affectorum  
proprium declaratur.

5) De conjunctione nervorum. Quam sen-  
tentiam paene quisque sustinebat. Inde  
sympathiam quam in multis partibus obser-  
vaverant, a nervorum anastomosi deduce-  
bant, praecipue ab illa conjunctione nervi  
intercostalis, cum Vto, Vlto et septimo  
pari

pari et plurimis nervis dorsalibus. Quia ex causa sympathiam diversarum partium abdominis, capitis, colli et pectoris explicare voluerunt; sed et haec sententia, si minus ad eam attenderis, multis est difficultatibus subjecta.

Primum enim sympathiam inter partes, quarum nervi plane prorsusque non conjuncti sunt, observamus. Obscuratio oculorum e. g. nonnunquam a ventriculo male affecto oritur, horripilatio sonum insuavem sequitur.

Secundo: Si sympathia a sola conjunctione nervorum cum nervo intercostali deppenderet, cur non omnes illae partes, quarum nervi ab illo originem suam habent, vel cum illo se coniungunt, afficiuntur? cur renibus inflammatis ventriculus plus caeteris visceribus patitur? Cur irritamentum nasi sternutationem tantum? cur non et tussim et singultum et sic porro efficit? nam ii quoque nervi eamdem conjunctionem habent. Non nihilominus negamus, investigationes a neurologis haecum tam in nervorum conjunctionibus, quam in ganglio-

rum

rum structura, institutas, plurimam in praxi  
utilitatem tulisse, plura omnino ex accurate-  
tiori nervorum indagatione exspectanda sunt,  
partim effecta, partim efficienda.

6) Sympathiam a cerebro ipso, centro omnis  
nervorum conjunctionis, pendere, ultima  
est sententia; quippe quae quoque verissi-  
millima videtur, cerebrum enim et medulla  
spinalis est sedes omnis vis nervosae sine  
qua nulla est sympathia. Dele cerebrum  
ranae, et vicini musculi quietierunt; fibrae  
irritatae vix oscillant. Igitur actio cerebri  
quoque ad sympathiam necessario require-  
tur. Verisimile ergo est, irritamentum  
quoddam partis cuiusdam impressionem sen-  
sorio communi centro omnium sensationum  
ingerere, et subinde mutationem nobis qui-  
dem ignotam in cerebro oriri, quae in  
aliam partem retroagat. Vbi ergo ner-  
vorum conjunctio non tam magni momenti,  
ut vulgo creditur est. Sed omnia in singu-  
lare impressione, quam sensatio quaedam  
cerebro ingerit, nituntur. Ut aspectus rei  
fastidii plenae fastidium ipsum et vomitum  
progignat, quod ne ullus profecto quidem  
a ner.

a nervorum conjunctione deducet, sed cogitatio (idēa) tantum rei fastidiosae mutationem cerebri quamdam efficit, quae vomititionis et vomitus ipsius causa est, et si nullam in ventriculo irritamentum reperiatur; sic, ut credimur, sympathia ventriculi, si calculus renalis adest, est explicanda. Hic conjunctio nervorum nil causat, si enim hoc esset, reliqua quoque viscera affici deberant; sed calculus renalis, ut nostra est sententia, impressionem quamdam cerebri procreat, a qua mutatio quaedam oritur, quae vim suam in ventriculum exercet cumque ad vomendum incitat. Cur autem ab illa mutatione ventriculus mutetur et nulla alia pars, haud explicari potest, ut id, quod cerebro inflamato vomitus creatur. Hoc sunt mysteria, quae adhuc jacent in tenebris, sed sic verissimilimo modo sympathia exponi potest; singularis impressio irritamenti omnia producit; hinc quoque minus forte irritamentum vehementiores motus, quam fortius procreare potest; titillatio, e.g. partium convulsiones non nunquam excitat, eti inflammatio, quae profecto multo majus est irritamentum, eas

non

non commovet. Quippe quod mihi argu-  
mento est, sympathiam in singulari impres-  
sione, quam irritamentum in cerebro produ-  
cit, et in hujus constitutione affectione vel  
mutatione eo producta, sed non in sola  
nervorum conjunctione esse positam. At  
dolendum est, quod peculiarem modum,  
quo singularem irritamentorum impressio-  
nem designare possemus non habeamus.  
Quomodo irritatio sonus taedium creantis,  
quem horripitatio totius corporis sequitur,  
agit certissime illa singulari cerebri im-  
pressione. Attamen nimis copiosus forem,  
si hanc difficultatem doctrinam fusius exarare  
vellem. Nunc ad sympathiam singularium  
corporis partium progressamur.

**DE CONSENSV CAPITIS  
CVM SINGVLIS PARTIBVS COR-  
PORIS HUMANI.**

Cerebrum animae officina, nervorum origo  
omnium, sympathiam toto cum corpore obser-  
vat, et merito columna sympathiae vniuscujus-  
que nominari potest. Si haec nobilis pars cor-  
poris patitur, tota machina turbatur, et notissi-  
mum

mum est a laesionibus cerebri hebetudinem sensuum, soporem, vertiginem, susurrum aurium, deliria, vomitum biliosum, capitis dolores, convulsiones, paralyсин, excretionem vrinæ et faecum involuntariam, apoplexiā, febrim et mortem oriri. Praeter hanc vniuersalem sympathiam caput adhuc consensum cum singulis corporis partibus communem habet e. g. cum ventriculo, dolores enim capitis et vertigo fastidium et haud raro vomitum creat; acriter et longe meditando digestio valde debilitatur. Inter iecur et caput quoque sympathia est, capite enim laeso vomicae hepatis repertae sunt 18).

### DE CONSENSU OCVLORVM.

Oculi sunt speculum, in quo quaevis corporis et animi mutatio exprimitur, et haud dubio magnum consensum, si inflammati sunt, cum cerebro habent. Magna eorum intentio dolores capitis, vertiginem et convulsiones facit. Praecipue in morbis oculorum, mutationes sub oculos cadunt atque medico sunt gravissimæ. Oculi niter se consensum habent, quod autem, ut supra

18) Van der Wiel Observat. medic. Lugdun. Batav. 1687. pag. 23.

exposuimus, ad sympathiam non transferendum est. Inter diversas oculi partes quoque sympathiam vidimus, vt illam iridis cum nervo optico, quid quod etiam cum naso, nam lux nimis vivida sternutationem creat.

### DE CONSENSV AVRIVM.

Morbi aurium multum valent in cerebrum, dolores enim aurium facile deliria, convulsiones et mortem causant. Porro quoque magnum habent momentum in dentes, toni enim quidam crepitum dentium, qui tam fortis esse potest, ut dentes excidant, efficere queunt 19). Irritamenta in meatum auditorium promota saepe tussim et vomitum faciunt 20); fortis et inexpectatus sonus, ut sonus tormentorum explosorum, nos ad oculos claudendos commovet.

### DE CONSENSV NASI.

Effectus irritantis odoris in totum nervorum systema recreandum sunt notissimi. Irritamenta

19) Ephemerid. Academ. Natur. Curiosor, Dec. 3<sup>a</sup>, ann. 1. Obs. 72,

20) Pechlin observ. med. lib. II. nom. 45,

menta quaedam naso admota tam magnam cerebri et nervorum impressionem facere possunt, ut capites dolores, convulsiones et mors ipsa sequantur. Praecipue autem narium sympathia cum organo respirationis et glandulis salivalibus hic anotari meretur. Quid quod odoratus non nunquam tam magnam vim, quam res ipsa, a qua odor proficit, habet. Exempli enim existant, ubi quis solo odore medicamenti alvum ducentis, revera alvum purgavit 21).

### DE CONSENSV DENTIVM.

Quisque effectus consensuales dentitionis infantum noscit, ad quos vomitus, tussis, salivatio, dolor oculorum, insomnia, febris, convulsiones et sic porro pertinent. Denis corruptus haud raro dolores dentis remoti atque sani excitat. Dolores dentis saepe aurium dolores et deglutitionem impeditam progignunt.

### DE CONSENSV LABIORVM.

Labia magna sunt sensibilitate praedita et illorum titillatio saepe concussionem totius corporis creat. Noti quoque sunt tremuli labiorum

mo-

21) Boyle's usenefs of experiment, Philos. p. II,  
pag. 248,

motus ab his vel illis contentis ventriculi nau-  
seam moventibus praesertim a bile turgente  
effecti.

### DE CONSENSV OESOPHAGI, ET LARYNGIS.

Quodvis oesophagi irritamentum usque ad ventriculum promovetur, et vomitum facere potest. Laryngis praeципue irritamentum pharyngis tamē solius saepe, totum respirationis organon concutit, et fortē tussim convulsivam excitat. Hystericarum et hypochondriacorum cum oesophago sympathiae viscerum abdominalium notissimae sunt.

### DE CONSENSV PVLMONVM.

Irritamentum pulmonib⁹ admotum per consensum quoque in laryngem agit, et vitia vocis et non nunquam vomitum creat. WHYTT intentionem omnium musculorum in asthmate ad sympathiam refert, quod forsitan magis intentio naturae impedimenta removendi est. Qui multis argumentis a recentioribus laudatus fuit consensus pulmonem inter et cutem, non omnino negligendus, huc pertinet.

DE



DE CONSENSU VENTRICULI,  
ET INTESTINORVM.

Ventriculi affectio magnum momentum in reliquas corporis partes habet, et minimum ejus irritamentum universalem inquietudinem procreare potest. Quam ob causam Helmontius eum animi sedem habuit, et prisci eum regem omnium reliquarum partium nominarunt. Consensus suus cum cerebro fortissimus est. Causa doloris capitis, vertiginis, lethargi, convulsionum, et ipsius apoplexiae in ventriculo saepe latet. Status ventriculi quoque multum in facultatem cognoscendi inferiorem atque mentem (superiorem) agit, impleto enim ventre haud libenter studemus. Memoria, phantasia et reliquae animi vires a ventriculo malo turbantur, et quisque scit, quam valde nostra hilaritas, et animi motus a bona digestione dependeant. Ventriculus quoque in oculos vim habet. Lomius observavit perturbationem ventriculi cataractam effecisse 22). Forestus hominem prae nimis magna ventriculi impletione caecum fieri, et post evacuationes visum suum recipere, vidit 23).

Whytt

22) Observat. Lib. 3. Antverplae 1560, 8to. p. 36.

23) Observat. Rothom, 1653. fol.

W H Y T T 24) enarrat „mulierem, si acidum in ventriculo habebat, omnes res quasi nebula involutas vidisse. Sympathia ventriculi cum auribus et naso non valde fortis est, attamen exempla existant, ubi hae partes quoque consensu patiebantur; vermes praecipue in eas multum valent. Cum labiis quoque ventriculus sympathiam tenet et HIPPOCRATES 25) jam dixit, „tremorem labiorum evacuationes biliosos indicare. „ Et glandulae salivales, cum ventriculo in consensu sunt, hinc enim secretio saliva ante vomitum cerebrior est. Vis ventriculi in linguam notissima est et hujus fortes illius cruditates indicant, et linguae tremor a ventriculi cordibus oritur. Prosper Alpinus et plures alii exempla afferunt, ubi illius cruditates defectum loquelae causaverant. Sympathia ventriculi et pulmonum, cordis atque diaphragmatis non minus fortis est. Irritamentum in ventriculo latens tussim excitat, et quam jam dudum in tussim pectoralem et in tussim stomachicam diviserrunt. Hipochondriaci subito saepe tussi cruciantur, quae ad phthisin pulmo-

num

24) Loc. citat. pag. 17.

25) Coac. praeonot. Lib. II. Sect. 2, 13. pag. 514.  
Edit. Iacot.26) de praesagiend. vita et morti aegrot. pag. 220.  
ult. Edit.

num fert; et si nulla pulmonum vicia aderant. Can-  
sam tussis convulsivae saepe ventriculus tenet, et ab  
ejus viciis asthma originem saepe deducit. Ettmülle-  
rus 27) dicit: „Asthma humidum seu manifestum  
„saepius haeret in stomacho quam ipsis pulmonibus.  
Etiam palpitatio cordis in ventriculi viciis est posi-  
ta, consensus autem suus cum jecinore et vesica  
fellea non ad sympathiam, ut credimus, referendus  
est, quia ille his partibus nimis prope adjacet.  
In renes et uterus status ventriculi quoque  
quidquam valet, inde enim in illis turbatio urinae  
secretionis, in hoc autem turbatio mensium  
oritur. Etiam sympathia ventriculi cum toto  
nervorum systemate adserri meretur, ab ejus  
enim turbatione non unquam animi deliquium  
convulsiones et s. p. oriuntur. Denique cum  
cute ventriculus est conjunctus et morbi cutis  
a viciis ventriculi facile efficiuntur, attamen au-  
tem credimus, hoc immerito sympathiae ad  
scribendum esse, quia hi morbi non immediate  
sed mediate, ut ita dicam, oriuntur.

### DE CONSENSV HEPATIS.

Etsi sympathia hepatis non tanta est, ut  
multi voluerunt, quia multum in partium e. g.  
ventriculi, vesicae felleae et diaphragmatis  
27) Loc. citat. pag. 64.

propinquitate nititur; attamen in partes remo-  
tores agit. **BAGLIVIVS** abcessus hepatis, qui  
intolerabiles dolores nullo medicamine demi-  
nuendos fuscitaverant, observavit. Saepe quoque  
hepatis vitia dolores humeri procreaverunt, inde  
quoque erisipelas pertinax adparuit.

**DE CONSENSV RENVM,  
VERETHERVM, ET VESICAE VRINARIAE.**

**SENAC** affirmat, renibus majorem sym-  
pathiam esse, quam reliquis corporis partibus; etsi  
hoc falsum est, et ventriculus atque uterus plu-  
res certe turbas excitat; attamen constat, renes  
in reliquias corporis partes multum valere. Cal-  
culi renum saepe caussa vehementis capitis dolo-  
ris sunt. **BARTHOLINI** et **FORESTVS** 28)  
hemicraniam, **BALLONIVS** 29) orthopnoeam,  
et **LISTER** 30) palpitationem cordis a calculo  
renali ortam observavit. Frequentibus renum  
sympathiis quoque illa cum ventriculo adnume-  
ratur. Calculi renum et eorum transitus per vre-  
theres saepe fastidium atque vomitum progig-  
nunt. Etiam cum testibus et cum lumbis sym-  
pathia

28) **Rega.** De Sympathia. p. 214.

29) **Consil.** Lib. I, pag. 46.

30) **Exercitat. med.** Amstelod. 1698, 4to. pag. 15.

pathia est, testiculus illius lateris enim in quo calculus renalis est, sursum trahitur, et si calculus renalis reperitur, plerumque lumborum doles adsunt. Inter renes ipsos sympathia est, quod multae observationes probant, quo enim alter ren patitur, mox quoque alter laborabit. Attamen quaeritur, vtrum consensus, anne potius causa eadem, quae eundem morbum in altero rene excitet, in culpa sit. Vesica vrinaria irritabilis in totum nervorum sistema magnum momentum habet; calculus eam occupans enim convulsiones universales, et formicationem et dolorem glandis penis commovere potest, nonnunquam tenesum, qui autem, vt opinor, a propinquitate partium tantum dependet 31). WHYTT enarrat, aliquem calculo vesicae vrinariae laborasse atque eum sensum in plantis habuisse, quasi supra carbones candentes incederet.

### DE CONSENSV UTERI, ET PARTIVM GENITALIVM.

Praeter cerebri et ventriculi sympathiam est illa vteri cum reliquis corporis partibus maxi-

ma.

31) Loc. citat. pag. 20.

ma. HIPPOCRATES 32) et GALENVS 33)  
 suam vim praeципue in caput et mammae jam ob-  
 servaverunt. SYDENHAM 34) dicit: „sunt mulie-  
 „bribus in occipite dolores frigidi, quasi glacies  
 „ibidem jaceret, qui a practicis vtero male se ha-  
 „benti adscribuntur, et vere hoc curato dolor eva-  
 nescit.“ Et prius menses profluunt, faeminae  
 dolores capitum et visionem dorsi sentiunt. Clav-  
 us hystericus ab affectione vteri oritur. Iis  
 temporibus, quo menses fluunt, quo mammae  
 gravidarum intumescunt, et in puerperis inter vte-  
 rum et mammae ipsas magnus consensus est.  
 Cum ventriculo uterū quoque sympathiam ha-  
 bet, inde primis diebus conceptionis mulierum  
 defectus adpetitus, fastidium et vomitus, qui non  
 numquam eousque perdurat ac uterus in alium  
 statum abit, atque alia symptomata commovet.  
 Huc quoque singulares gravidarum libidines re-  
 ferendae sunt. Porro uterus sympathiam cum in-  
 testinis tenet, hac ex causa enim hystericae mulie-  
 res flatibus, horborygmis, doloribus atque tor-  
 minibus intestinalium vexantur. Denique cum  
 lumbis sympathia invenitur, hac ex causa ha-

ram

32) Aphorism. Cent. 3. Aphor. 44.

33) De usu partium. Lib. XIV, cap. 8. Tom. IV.  
pag. 643.

34) Opera medica, Genev. 1716. 4to. pag. 131.

rum dolores ante effluvium mensum sunt expli-  
candi. Etiam partes genitales virorum cum di-  
versis corporis partibus sympathiam habent e. g.  
cum organo loquela; notissimum enim est,  
quantum haec a pubertate mutetur, porro cum  
pectore, constat enim epithemata frigida in par-  
tibus genitalibus posita, et haemoptysin et haem-  
orrhagiam narium tollere.

### DE CONSENSV CVTIS.

Irritatio unius cutis partis facile in reliquam  
cutim propagatur, et totum nervorum sistema  
nonnumquam patitur, si cutis est affecta. Refri-  
geratio unius partis corporis saepe horripilatio-  
nem universalem procreat. Praecipue cum glan-  
dulis sympathia cutis observatur, illae enim in-  
tumescunt, si haec irritatur. De eo, qui cum  
pulmonibus intercedit, consensu, jam supra  
dictum est.

THESES.

---

## T H E S S.

---

I.

Ledum palustre contra tussim convulsivam  
specificum non est.

2.

Hepatitis saepe larvam febris biliosae at-  
sumit.

3.

Medicina sine psychologia claudicat.

4.

Doctrina de exanthematisbus ad huc incom-  
pleta est.

Coc.

## 5.

Coitus nimius magis viris quam foeminis  
nocet.

## 6.


Excepto odore cadaveroso atque putredine  
nulla signa certa mortis adsunt.

## VITIA TYPOGRAPHICA.

Pagina	1 versu	2 lege pro	ad mirabili, admirabili.
—	6 —	6 — —	correctum, correptum.
—	7 —	5 — —	Ad multi, At multi.
—	9 —	4 — —	continuate, continuitate.
—	9 —	18 — —	e contra, econtra.
—	9 —	22 — —	Ac huc, Adhuc.
—	10 —	3 — —	Sed omnes ei valis, Sed omnes a valis etc.
—	10 —	15 — —	explicari, explicare.
—	10 —	16 — —	protecta, profecto.
—	13 —	13 — —	requiretur, requiritur,
—	14 —	10 — —	deberant, deberent,
—	14 —	14 — —	cumque, eumque.
—	16 versu penultimo	lege pro niter,	inter.

\*) Reliqua vitia, quae in prima plagula reperiuntur, lector benevole corrigat.

B.I.G.



ERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,

D E

NSENSV PARTIVM  
ORPORIS HVMANI.

Q V A M

NSV FACVLTATIS ILLVSTRIS MEDICAE

P R A E S T D E

F R I D . T H E O D O R .  
M E C K E L ,

D OCTOR. ET PROF. PVBL. ORDIN.  
TITVT. CLIN. CHIRVRG. DIRECTORE,

P R O

V DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

XXVIII. IANVAR. MDCCXCIV.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

O L F F D A V I D S O N ,  
B E R O L I N E N S I S .

H A L A E ,

Y P I S IO. CHRISTIAN. H E N D E L I I .

(1794)